

nostri constudentes sine scitu et commissione universitatis per cives Lipcenses frivole
 capti et abducti violenter in nostre universitatis iurisdictionis preiudicium, personarum
 scandalum et gravamen, in vestris iam carceribus detinentur, et ob hoc iam publice ven-
 tilatur secundum quod eciam vestre paternitatis scripta nos videntur increpare, quomodo
 5 diu et scienter universitas nostra eosdem toleraverit labe pollutos heretice pravitatis, quod
 quante sit verecundie, iudicet qui hoc audit, ideoque vestram paternitatem, quam haecenus
 universitati nostre semper cognovimus favorosam, precibus humilibus exoramus, quatenus
 supradictos detentos, qui cum dedecore per cives, nullam penitus iurisdictionem nec
 auctoritatem in eos habentes, abducti vestris sint manibus presentati remittere nobis
 10 velitis honorifice et decenter. Et quia ut constat nostre universitatis rector iurisdictionem
 ordinariam habet in omnia universitatis supposita in causis civilibus et iniuriarum, parati
 semper fuimus prout hodie sumus, unicuique poscenti de eis et alio quolibet iusticiam
 ministrare. Sed quia supradicti aliquibus hereticis opinionibus seu erroribus accusantur
 innodati, volumus per doctores universitatis id ipsum sine fictione diligentissima indagine
 15 explorare, et si ad hoc paternitas vestra aliquos de vestris deputare voluerit, gratum erit,
 et sie tunc in eis aliqua reperiretur scintilla heretice pravitatis et incorrigibiles fuerint
 animo obstinato, volumus quantocius eosdem vestre paternitati remittere sine mora.
 Contra quos poteritis tunc procedere iuxta debitum officii pastoralis, arrestare autem
 libros eorum vel alia stantibus rebus ut sic conveniens non videbatur, ne per hoc videre-
 20 mur in huiusmodi eorum captionem consentire. De violenta eciam manuum iniectio
 civium in eosdem, quia videntur verisimiliter sententias canonis incidisse, videtur nobis
 ab eorundem impetitionibus resilire non licere, et quia ius favens unicuique quod suum
 est, gremium suum nulli claudit, iusticiam nobis fieri poscimus, quam et prosequi inten-
 dimus sic, et quilibet ius suum vellet inviolabiliter observari. Ideo super violatore privi-
 25 legiorum ac libertatum nostre universitatis licet inviti compellimur querulari et facientes
 in hiis, reverende pater, prout universitas nostra de vestre paternitatis gracia fiduciam
 gerit singularem. Datum Liptzk anno 46, 24. aprilis, rectoratus sub sigillo.

75.

Die Universität bittet den Bischof Johannes von Merseburg in der Angelegenheit der beiden ver-
 30 hafteten Studenten die Rechte der Universität zu wahren. Leipzig, 1446 Apr. 24.

Hdschr.: Universitätsbibliothek Leipzig Cod. mscpt. No. 176 fol. 333^a.

Reverendo in Christo patri ac domino, domino Iohanni episcopo Merseburgensi,
 domino nostro gratioso.

Humili recommendatione cum sincera in omnibus complacendi voluntate pre-
 35 porrecta, reverende in Christo pater ac domine gratiose. Scripta vestra alias in causa
 certorum suppositorum nostrorum Burchardi et Iohannis Schef per paternitatem vestram
 detentorum omni qua decuit reverencia suscepimus ac in plena congregatione tocius